



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

13. An initiatus Ordinibus minoribus, & Sacris non suscepta Tonsura sit irregularis, & teneatur dictam Tonsuram sumere? Ex quo deducitur, an Tonsura sit Ordo? Ex p. 6. tr. 8. & Misc. 3. res. 29.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

natura non directus ad mortem, vel mutilationem, & Episcopus nihil operatur, sed tantum permittit exhumari corpus, & capi informationes. Ergo, &c. & ita hanc sententiam præter Lavorium docet etiam in terminis, ut dici solet, terminantibus Doctus Aloysius Riccius in *praxi tom. 1. resolut. 453.* & ita practicum fuisse in Curia Archiepiscopali Neapolitana testatur M. Antonius Genuensis in *praxi cap. 42. num. 10.* & ita etiam docet Venerus in *exam. Episc. lib. 2. cap. 23. num. 19.*

2. Notandum est etiam hic quod Genuensis ubi supra testatur in dicta Curia resolutum fuisse, posse concedi Curiaæ seculari copiam sententiæ dispositionis, sive degradationis verbalis, & renunciationis habitus Clericalis alicujus Clerici inquisiti de homicidio in Curia seculari, alleganti se esse Clericum, & Curia secularis negabat esse Clericum, ob prædictam depositionem, & renunciationem: sed tu in supradictis cogita.

RESOL. XII.

An irregularis possit iniciari prima Tonsura sine previa dispensatione?

Ex quo inferitur, an prima Tonsura sit Ordo? Ex p. 4. tr. 2. Resol. 88.

Negativam sententiam docet Avila de *cenfur. part. 7. disp. 2. dub. 6. concl. 1.* Præpositus in addit. ad 3. part. D. Thomæ *quest. 5. de irregularitat. dub. 3. num. 11.* Suarez *tom. 5. disputat. 40. sect. 1. num. 11.* & alii communiter, asserentes irregularitatem reddere hominem inhabilem etiam ad primam Tonsuram.

2. Sed adversus hanc sententiam (attendas quæso amice Lector) adest maximum argumentum, supposita communi sententia Theologorum asserentium primam tonsuram non esse Ordinem, cum D. Thoma ad 3. part. *quest. 40. art. 2. Vazquez tom. 3. disputat. 236. cap. 1. n. 9. & disputat. 237. cap. 2. Bellarmino lib. 1. de Clericis, cap. 11. Martino Fornario tract. de Ordine cap. 7. n. 1. Filiucio tom. 1. tract. 9. cap. 1. n. 13.* & novissime solide, ut semper solet, cum Patre Hurtado de *Sacram. tract. de Ordine, difficult. 2.* quorum sententia supposita sic argumentor. In odiosis non est facienda extensio de uno casu ad alium; sed Canones asserunt irregularem esse incapax Ordinum; ergo non erit incapax primæ tonsuræ, quia, ut dictum est, propriè non est Ordo; tonsuratus enim ordinatus dici non potest, quia ordinatus habet peculiare officium ad Eucharistiæ celebrationem directum; sed tonsuratus nullum habet officium circa ministerium Altaris, ita ut dici possit deputatus ad Ordines, sed non ordinatus. Ergo, &c. Sed his non obstantibus, quia opinio negativa est communis, non audeo ab ea recedere, & ideo illam omnino tenendam esse existimo.

RESOL. XIII.

An iniciatus Ordinibus minoribus, & Sacris, non suscepta Tonsura, sit irregularis, & teneatur dictam Tonsuram sumere?

Ex quo deducitur, an Tonsura sit Ordo? Ex p. 6. tr. 8. Misc. 3. Res. 29.

De hoc casu consultus fui à quodam Antiquite & pro primo dubio dixit habuisse responsum affirmativum à quodam Theologo inclitæ Societatis IESU, & in terminis adducebat Martinum

Fornarium de *Sacram. Ordinis, capite 8.* ubi testatur Sacram Congregationem Concilii declarasse eum qui dimissa prima Tonsura ordinatur esse irregularem. Quia ut tenent communiter Canonistæ prima Tonsura est Ordo. Ergo talis suscepit ordinem per saltum, & per consequens contraxit irregularitatem.

2. Sed his non obstantibus ego sententia negativæ adhæsi, * quia Tonsura non est ordo, idque non tantum juxta receptam Theologorum doctrinam, sed etiam juxta ipsum jus Canonicum; quod Tonsuram neque inter minores, neque inter majores ordines agnoscit, *Can. seriatim, dist. 32. Can. illud, dist. 72. Can. à Subdiacono, dist. 93.* Quibus conformiter Concilium Tridentinum Tonsuram quoque ab Ordinibus tam minoribus, quàm majoribus distinguit *sess. 23. cap. 4. 5. 6. 11. 12. 13. de Reformat.* Sicut etiam Romanum Pontificale tum alibi, tum quando dicit Clericatus sive prima Tonsura quocumque die, hora, & loco conferri potest, minores verò Ordines possunt dari singulis Dominicis & festivis diebus duplicibus ubicumque, in mane tamen.

3. Confirmatur, illi demum sunt Ordines, qui pro materia habent rem quampiam, per cujus traditionem ipsi conferuntur, juxta *Synod. Flor. Tonsuræ autem nullos assignat materiam per cujus traditionem ipsa conferantur.*

4. Nec valet dicere quod pars affirmativa suadetur primò, ex *cap. cum contingat, de atate & qualitate perficiendorum*, ubi dicitur: Per primam Tonsuram Clericalis ordo confertur. Secundò ex *Alcuino lib. de divinis Officiis, cap. 35. sive de Tonsura Clericorum*, vocante Clericatus ordinem. Tertiò ex motu propria Sixti V. anno 1588. contra malè promotos ad Ordines, ubi, primam Tonsuram appellat characterem Clericalem. Quartò ex eo quod in Trident. *sess. 21. cap. 1. de reform.* dicatur: nihil pro collatione quorumcunque Ordinum etiam Clericalis Tonsuræ accipiant, scilicet Episcopi eamque partem communius sequuntur Canonistæ, quibus unus vel alter Theologus suffragatur. Cæterum communissimè Theologi sentiunt non esse ordinem, quorum sententia est omnino verior. Ergo, &c.

5. Nam respondeo ad primum, & dico: nomen Ordinis in illo capite sumi pro gradu in Ecclesia, absque ulla tamen potestate spiritali, & proinde non sequi primam Tonsuram esse ordinem prout usu Ecclesiastico in hæ materia sumitur, per quod.

6. Respondetur ad secundum, quod Alcuinus solum voluerit significare hominem per primam Tonsuram constitui in gradu eminentiore supra cæteros fideles Laicos, non verò voluisse, quod per illam ulla spiritalis potestas conferatur.

7. Ad tertium dico, per characterem clericalem, Pontificem solum voluisse significare destinationem ad statum clericalem.

8. Ad quartum dico, satis patere de sententia Concilii Trid. ex *cap. 2. cit. illo ergo cap. 1. sess. 21.* solum vult: non licere quidquam accipere, non solum pro collatione Ordinum, sed etiam primæ Tonsuræ, & quibusdam aliis, quæ ibi recenset.

9. Et ita hanc sententiam tenet doctus Stephanus Bauny in *Theol. Moral. tract. 7. quest. 3.* Tiberius in *instruct. Ord. in c. 2. quest. 15.* Bonacina de *Sacram. disput. 8. quest. unica, punct. 1. n. 6.* & alii, quos citat & sequitur Sanchez in *opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 6. n. 6.* quibus adde Villalobos in *summa, tom. 1. tract. 11. diff. 2. n. 4.* Ioannem Petit in *Theolog. Moral. tract. 7. lect. 93.* Eligium Bassæum in *Florib. Theolog. pract. verb. Ordo 1. num. 3.* Ioannem Vigier de *Sacram. in 3. part. D. Thom. quest. 37. art. 1. num. 6.* Ergo cum prima

S. 4 Tonsura

*Sup. hoc in
ref. præteri-
ti §. 2. à lin.
4. & in ref.
seq. eursim
in fin. & inf.
in ref. 138. §.
Quare, ad
med. à vers.
Quia primæ
Tonsura. &
sup. in tr. 3.
ref. 12. à lin.
4. & in ref.
25. §. 2. ad
lin. 3. & in
ref. 34. ad
lin. 10. & ip-
sin §. penult.
& seq. & in
tom. 3. tr. 1.
ref. 65. §.
ult. à lin. 4. &
ibi in tr. 5.
ref. 14. à
lin. 3. & §. §.
seqq.

Tonsura non sit Ordo, consulentem nullam contraxisse irregularitatem dicendum est cum non fuerit ordinatus per saltum, cum prima Tonsura non sit Ordo.

10. Quoad secundam dubitationem, an qui suscepit alios Ordines tenetur recipere primam Tonsuram, referantur huc quid alii sentiant. Partem affirmativam docet Franciscus Sylvius in *resolutionibus variis*; verb. Ordo 2. ubi sic ait. Sicut contra mentem Ecclesiæ est quod non tonsuratus Ordines suscipiat, ita contra illam est, quod non suscepta Tonsura in iis ministret, ideo religioso præfatus Tonsura conferenda est. Ita ille. Sed negativam sententiam invenio docere Ioannem Baptistam de Fabris in *Manuali Ordinandorum*, de *Sacrament. Ordinis*, c. 4. quæst. 13. ubi sic asserit: Dicitur est quod Tonsura est preparatio ad Ordines suscipiendos, debetne necessarii præcedere Ordines? Respondeo de necessitate Sacramenti non debet præcedere, quia etiam si quis susciperet Ordines non recepta Tonsura validè esset ordinatus, nec ulterius teneretur ad Tonsuram, est tamen de necessitate præcepti. Hæc ille.

RESOL. XIV.

An excommunicatus, si sumat minores Ordines, efficiatur irregularis?

Et quid, si suscipiat Ordinem sacrum?

Ex quo sequitur, quod excommunicatus minori excommunicatione recipiens primam Tonsuram, non est irregularis.

Et an qui in suspensione, & interdicto recipit Ordinem sacrum, fiat irregularis? Ex part. 9. tract. 7. & Misc. 2. Rel. 23.

§. 1. Negativam sententiam esse probabilem docet Lessius in 3. par. c. 6. de irreg. dub. 2. n. 45. ubi sic ait: [Qui ligatus censura excommunicationis recipit Ordinem, præsertim sacrum sit irregularis. Est communis, ex cap. Cum illorum, de sent. excomm. Virum verò, si minores recipiat, fiat irregularis, est dubium. Plerique putant esse irregularem: quia Canon generaliter loquitur de Ordine Ecclesiastico. Sed contrarium non est improbabile: quia, cum Canones de Ordinibus Ecclesiasticis loquuntur sæpè tantummodò sacros intelligunt ut videre est in Concilio Tridentino sess. 14. c. 7. de reform.] Ita ille. Qui etiam subdit quæ in suspensione recipit Ordinem sacrum, non videtur fieri irregularis: quia iure non est expressum. Est contra Navarrum. Ratio esse potest: quia suspensio est directè ab exercitio Ordinis suscepti, & solum ex decencia impedit susceptionem novi. Idem probabile est, si quis in interdicto constitutus ordinetur; quia in iure non invenitur expressum. Hæc Lessius, quæ omnia confirmat Avila de cens. part. 7. disp. 9. sect. 2. dub. 6. conclus. 3. & seq. Et ego absolūtè teneo excommunicatum, sumendo Ordines minores, non incurere irregularitatem. Vide Navarr. consil. 28. de sent. excommunic.

2. Hinc sequitur à fortiori, quod excommunicatus majore excommunicatione recipiens primam Tonsuram, non est irregularis. Ita Navar. in eodem consil. ad 3. quæst. Et hoc est verum, licet teneremus, quod recipiens minores fiat irregularis. Ratio est: quia prima Tonsura non est Ordo, ut bene advertit Avila ubi sup.

Sup hoc late
in rel. præ-
terita §. 2. à
lin. 2. &c.

RESOL. XV.

An efficiatur irregularis, si quis recipiat Ordines furtive, v. g. qui non examinatur, neque admissus suscipit Ordines, &c.

Et quid est dicendum de aliis casibus sæpe in praxi occurrentibus, quos in §. penult. & ultimo Resolutionis discussos invenies?

Et an, quando tempore Ordinationis Episcopi ferunt excommunicationem contra furtivæ Ordinationi se ingerentes, dicta irregularitas regulariter sit Papa reservata, ita ut Episcopus in ea dispensare non possit? Ex p. 4. tract. 2. Rel. 55.

§. 1. Respondeo quod qui ordinatur furtive, incurrit irregularitatem; dicitur verò furtive ordinari qui non examinatus, neque admissus suscipit Ordines, vel quando fecit ut alius examinaretur, & ipse loco illius & nomine suscipit Ordines, ut patet ex cap. 1. de eo, qui furtive ordinatur; dispensatio verò huius irregularitatis committitur Episcopo, c. 1. & ult. cit. cum hac tamen conditione, ut non fuerit denunciatus ab Episcopo vel Archidiacono, vel alio ministro mandante ut nullus se furtive ingerat sub pena excommunicationis ipso facto incurrendæ; in hoc enim casu non potest Episcopus dispensare, nisi aut Religionem ingreditur, aut faciat ibi condignam penitentiam, & ita docet Turrianus de cens. lib. 9. disp. 61. dub. 3. Hurtado disp. 2. de irregular. diff. 1. n. 3. Præp. in 3. part. quæst. 5. de irregul. dub. 5. n. 26. Coninch. de Sacram. disp. 18. dub. 5. n. 43. Suarez de cens. disp. 42. sect. 3. n. 5. & alii penes ipsos; verum quia hoc tempore Episcopi communiter ferunt excommunicationem contra furtivæ ordinationi se ingerentes, ideo dicta irregularitas regulariter Papæ est reservata.

2. Non reticemus tamen hic adnotare Bonacinam de censur. disp. 7. quæst. 3. punct. 4. n. 6. in fine, docere, licet cum aliqua formidine supradictam doctrinam esse veram, quando quis diaconatum furtive suscipit, & consequenter in hoc casu incurrit irregularitatem, ut loquitur dict. cap. 1. Secus autem in susceptione furtiva aliorum Ordinum, nam in hac contrahitur tantum suspensio.

3. Nota etiam hic non incurere irregularitatem, si quis ordinatur in his casibus. Primò quando quis accipit Ordines ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatu quoad locum & dignitatem. Secundò qui ordinatur ante legitimam ætatem. Tertiò qui ordinatur ab Episcopo alieno sine licentia proprii. Quartò qui ordinatur non servatis interdictis. Quintò qui ordinatur per saltum. Sextò qui recipit Ordines extra tempora sine dispensatione. Septimò qui existens in irregularitate si recipiat Ordines sine dispensatione dictæ irregularitatis; in his enim casibus non irregularitas, sed suspensio incurritur. Ita Filiucius tom. 1. tract. 20. c. 7. num. 190. & seq. Villalobos tom. 1. tract. 21. diff. 12. n. 1. & alii.

4. Nota etiam secundò quod aliqui probabiliter asserunt ligatum majore excommunicatione recipiendo scienter, vel cum ignorantia crassa, vel affectata Ordines sacros, non incurere irregularitatem. Vide Bonacinam ubi supra. Idem dicendum est etiam probabiliter de suspensio & interdicto, & recipiente Ordines sine confirmatione, unde in gratiam Confessoriorum dico absolūtè, quod in duobus tantum casibus quis in mala Ordinum susceptione incurrit irregularitatem. Primò si furtive ordinetur modo, quo supra dictum est. Secundò si durante matrimonio, etiam non consummato, præsumit sacros Ordines suscipere; in aliis autem casibus quos adducunt DD. asserentes incurri irregularitatem in susceptione Ordinum, tu tene contrarium, quia cum non exprimentur in iure, non sunt admittendi, unde prudens Confessorius à multis irregularitatibus liberabit penitentes & consumulantes, & ita hanc opinionem tenet Hort. disp. 2. de cens. diff. 1. n. 3. & Præp. in 3. part. 9. §. 5. de irregul. dub. 5. n. 27.

RESOL.